



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 161. Hujus Ducis aggressores capitali sententia damnati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

lorisque arcte constrictus, ad castrum Pa-
 ludelli in Pictaviensi agro situm abstrahi-
 tur, inde vero ad varia alia loca raptatur,
 sparso interim ubique rumore, Ducem
 præ nimio animi mærore mortuum, aut
 undis submersum periisse. Tam atroci
 facinore universa Britannia vehementer
 commota, ad arma convolat, Ducisque
 conjugii plusquam quinquaginta hominum
 millia submittit, quorum præsidio Mari-
 tum libertati restitueret.

Sæcul. XV.
 A.C.1419.

§. CLXI.

*Aggressores hujus Ducis capitali sen-
 tentia damnati.*

Ergo Castrum-celsum obsidione cingi-
 tur, in quo tamen haud amplius Dux,
 prout credebatur, sed sola Margarita Clis-
 sonia cum unico Filio suo morabatur.
 Hæc vero, cum jamjam pars muri tor-
 mentorum vi everfa esset, ob imminens
 vitæ periculum tam vehementi per-
 celliebatur timore, ut animo fracta, mor-
 bi, mortisque angustiis oppressa, in singu-
 la ferme momenta nuncios ad Oliverium
 Filium suum ablegaret, sollicitans, ut, si
 Matris suæ vitam caram, salvamque vel-
 let, Ducem e custodia dimitteret. An-
 nuit quidem Oliverius, sed Britanno, an-
 tequam eum libertati restituisset, iniquum
 obtrudit pactum, ac quascunque de-

Hist. Eccles. Tom. XXVI.

E e mum

Sæcul. XV.
A.C. 1419. mum libebat, conditiones ab eo extorsit, unde factum, ut illud a Britannis nullo modo acceptaretur. Hinc quatuor istorum Fratrum causa in iudicium deducitur, ipsique capitali sententia mulctantur, castra eorum solo æquantur, ac bona publicata, ne amplius ad dejectos possessores redire possent, Viris potentia præcipuis traduntur.

§. CLXII.

Rothomagum ab Angliæ Rege oppugnatum, captumque.

Polyd. l. 22. Ferventibus hisce diffidiis Rex Angliæ ineunte Mense Junio Rothomagum obsidione premit. Nobilitas loci, & probata civium fides merito exposcere videbatur, ut ad solvendam obsidionem extrema adhiberetur sollicitudo; varia prointentabantur media; nunc quippe per Pape Legatos connubium Catharinæ de Francia cum Henrico V. offerebatur, nunc collectis quibusdam copiis vim vi repellere cæptum est; sed incassum omnia; Rex enim tales Anglis proponebat conditiones, quas acceptare abs re fuisset, aliunde Delphinus hanc urbem potius Burgundicam, quam Gallicam reputans, parum anxius erat de obsessorum fletibus, quamvis jamjam ad incitas redacti essent. Nam ferme triginta hominum
millia